



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Confessio pulcherrima Operi præfixa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

in opere sic affirmabat, vt in veterum Patrum, atque Doctorum monumentis Deniq; quam fidei suæ confessionem Pater libro præfixerat, eam vero sine villo fine, & mirabatur, & prædicabat: protinusq; ab ipso voluit Polanco, legi, cui itē æque pia, ac docta, succinctæ breuitatis, ac plurimi succi visa est. Quam nec aliter quisquam existimabit, qui legerit. Quam ob rem nec lectorem hac fraudauerim voluptate aliove reiecerim. Est ergo huiusmodi.

Confiteor tibi Pater Domine cali & terra, Creator, & Redemptor meus, virtus & salus mea, Confessio pulcherrima operi præfixa.
qui iam inde ab infantia me sacro pane verbi tui pascere, & cor meum confortare nō desisti. Ne vero vagarer cum errantibus ouibus, quæ sunt absq; Pastore, in domo Ecclesiæ tuæ me collegisti, collectū educasti, educatum conseruasti, & sub illis magistris, atq; pastoribus instituisti, in quibus te presentem audiri, & vocem tuam obseruari domesticis omnibus præcepisti. Confiteor ore ad salutem quicquid corde ad iustitiam ab orthodoxis, atque Catholicis creditur. Non noui Lutherum; Calvinum respuo; Hereticis omnibus dico anathema. Nihil mihi cum his commune esse volo, qui unum non dicunt,

cunt, & sentiunt, eandemq; fidei non tenent regulam cum una, Sancta, Catholica, Apostolica & Romana Ecclesia. Si quis verò Christum non solum in verbo scripto docentē, sed in Oecumenicis etiam Synodis iudicantem, in Petri cathedra sonantē, & in Patribus testificantem audit, ac sequitur, huic ego communionem consocior: huius & fidem amplector, & religionem sequor, & doctrinam probo. Quam enim alij blasphemi contemnunt, & persequuntur Romanam Ecclesiam, ac velut Antichristianam execrantur, eius ego me civem esse profiteor, ab eiusdem autoritate non latum unguem discedo: ob illius testimonium vitam, & sanguinem profunderi non recuso; nec alibi prorsus, quam in eius unitate Christi Domini merita, & sancti Spiritus dona mihi, & aliis salutaria fore confido certoque persuasum habeo. Cum Hieronymo liberè profiteor: qui Petri cathedra iungitur meus est. Cum Ambrosio, Ecclesiam Romanam in omnibus cupio sequi: eamq; Catholice Ecclesie radicem, & matricem cum Cypriano reuerenter agnosco, in qua semper; ut Augustinus predicat, Apostolice cathedre viguit principatus. In ea verò fide, atq; doctrina conquiesco, quam puer hausi, adolescens retinui, at

que

que haectenus pro mea exiguitate defendi. Ceterum
 ob nullum commodum temporarium, nec in homi-
 nis cuiusquam gratiam, vel aduersus conscientiam
 (sic te mihi Deus propitium semper opto) Doctoris
 Catholici partes huc usque sustineo, aut in posterum
 sustinebo. Quam confessionem non aliud sanè à me
 exigit, & extorquet, nisi nominis, & honoris tui
 ratio, nisi agnitæ veritatis vis, nisi canonica Scri-
 pturae disciplina, nisi Patrum sensus atq; consensus,
 nisi debitum fidei apud fratres testimonium, ac de-
 mum nisi expectata in celo salus, & proposita sincere-
 ris confessoribus beatitudo. Quod si propter eius-
 demodi confessionem contemnor, si oppugnor, si tra-
 ducor, singularem agnosco, & predico gratiam tu-
 am Deus, qui partim velis me propter iustitiam
 pati, quod certè beatorum est, partim nolis mihi
 beneuolos esse illos (quod in magni lucri parte ponē-
 dum est) qui tibi amici esse non possunt, cum Eccle-
 sia tua, & Veritati Catholicae palam aduersentur:
 sed ignosce illis Pater, ignosce, quia vel nesciunt,
 vel scire nolunt quæ faciunt, partim tetri Satana
 imperio incitati, partim falsa doctrina prestigis
 impediti. Hanc verò gratiam mihi perpetuo ser-
 ues oro, ut quam tibi, quam Ecclesie, quam verita-

ti sinceram constantiam, & constantem sinceritatem debeo, eam tum viuens, tum moriens testatam facere non desistam, neque à caritate tua unquam excidam, particeps nimirum omnium timentium te, & custodientium mandata tua in sancta Romana Ecclesia. Cuius demum iudicio me, scriptaque omnia mea, ut libenter, ita reuerenter etiam subiicio. Tuam porrò immensam bonitatem pro me collaudent, atque deprecentur sancti omnes, siue quos in celo triumphans, siue quos militans in terris Ecclesia uno, & indissolubili Catholica pacis vinculo firmissimè coniungit, atque comprehendit. Tu es principium & finis es mihi bonorum omnium: Tibi ex me, per me, & de me sit laus, honor, & gloria sempiterna.

Hac accepta disputationum Canisij præclara specie, placuit omnibus ut ad ea, quæ restabant perficienda gradum faceret. Sumpserat autem sibi præcipuas tres noui testamenti personas, Præcursores Domini Ioannem, sanctissimam eiusdem Parentem Mariam, & Apostolorum Principem Petrum ornandas, & aduersus hæreticos defendendas. Ceterum, quia Prouincialis Hoffæus scripserat, nisi Pontifex iniiceret frenos, iuberetque lentius,

*Obedientia
exacta.*